

1928 K 944

452
78/
*DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA
DE
C E S P I T E V S T I L I,
VULGO T V R F A,*

SECTIO II. PHYSICA,

QVAM

PRAESIDE
**D. SALOMONE CONSTANTINO
TITIO,**

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VICAR.

PRO SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONO-
RIBVS RITE CAPESSENDIS

D. 27. AVGVSTI 1794.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS VOLDEMAR SALOMO FIEBIGER,
GORLITIO - LVSATVS,
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1794

UNIVERSITATIS LINNEANAE MEDICIS

DE

CELESTINE ASTILLI

ANTEO TAVRIA

RECENS H. PICTOR

2

D. SALOMONE CONSTANTINO

TITIO

PATER ET CHIRURGUS ET ALERE ACICL

PRO SUMMIS IN VITE SALVATORI HONOR

IN EAS RHE CAPERSENDIA

M. A. ASTILLI 1734

W. F. G.

CHRISTIANVS GODFREY SALOMON FREDERICVS

GODFREY SALOMON FREDERICVS

ME

WILHELMVS
LITERIS TROPICIS ERICHTI

§. 1.

Transitus.

Partes, ex quibus turfa nostra indigena Wittebergenfis, aequae ac Dresdenis constant, chemico artificio erutas, postquam in prima huius tractationis, de cespite vſili, ſectione exposuitur; nunc in earum natura, compositione atque mutua ad ſe relatione, certius exprimendis animum occupabo, in ſpem haud vanam erector, fore, ut, quea turfae huius genefin, atque hiſtoriam naturalem attinent, lectors facilius perſpiciant, atque diuersas auctorum de illius ortu fententias, una quaſi tabula depictas, habeant. Partes itaque turfae noſtratis eſtentiales, experimentis antea comprobatas, paucis recenſebo, et inter ſe comparabo.

Quaelibet turfae species, vt antea (Sect. I. §. 6.) monui, partes natura ſua quidem ſimiles, ſed quantitate atque ratione inter ſe diuerſas, qua grauitatis, inflammationis, atque ignis alendi gradum, proportionales habet. Prima leuiflamma, radicibus interſita pluribus, ratiōnē, nigrefcens, ſuperius humi ſtratum effecit, non exiguum partium inflammabilium numerum conſinet; cum quinta demum totius maſſae pars ſuperficies maneret, reliquis quatuor igne auolantibus, quibus parum alcali volatiliſ, maior autem oleofae ſubſtantiae quantitas inerat. In fixis autem per inueſtigationem deprehendi partes mucilaginofas, ſaccharinas, ſalinas, praecipue tartarum vitriolatum repetitis experimentis comprobatum, refinoſas, principium adſtrigens, acida martis ſolutione detectum, terram ſiliceam, alumina tamque et ferri tandem perparum. Secunda grauior, compacta, fuſco-atra, radicibus parcior, inmediate ſubiacet, et ex particulis neceſſariis, propemodum iisdem, quibus prima, tum inflammatione volatilibus, tum igne fixioribus, aequali proportione componitur. Tertia denique grauiſſima, tenax, quaſi terrefrīs, colore albefcente, inum venae locum occupat. Partes volatiles in illa quarta modo parte, maxima terrefrīs, praecipue aluminoſas, minima vegetabiles inhaerent.

A 2

§. 2.

§. 2.

Turfae indoles.

Quae quidem partes nunc expositae, et in unum conciliatae, licet ad omnem rerum naturae classem, mineralē, vegetabilem, animalemque recte referantur, primarium tamen locum particulae inflammabiles, igni atendo aptissimae, originem maxime vegetabilem habentes, sibi vindicant. Etenim praeter aquas, aëreas, elementorum forma omnibus naturae corporibus, praecipue organicis, inhaerentes, varioque eruidas artificio, particulae in primis terrestres, ferreæ, et quaedam inflammabiles, mineralium generi accenfendas sunt. Et terra quidem silicea, aequæ ac aluminosa, (§. 3. exp. 3. 4. §. 4. exp. 5. §. 5. exp. 3. 5.) primo loco ponenda sunt, quod massæ turfaceæ firmatatem, grauitatemque conciliant. Hinc iam antea experimentis cognouimus, insignem terrae huic aluminosæ copiam, in insima illius specie, quæ patulo profundoris partis recessu defidet, inesse, eamque glebae magis terrestri, quam turfae pingui, similem fieri; a cuius bona indole multum recedit, quod calorem quidem modo suscepit, per hanc exiguum tempus fuisse, sed ad ignem ipsum faciendum minus est idonea. Nec silentio praetereunda virtus haec est, qua reliquas turfae species antecedit, videlicet grauitas, a partium terrestrium quantitate ducenda, quibus superiores soli cespititi venae haud plane carent. Verum enim uero hic terrestribus particulis vegetabiles admistæ sunt, quibus maior tum levitas, tum ignem concipiendi vis et potentia, quam in imæ venæ particulis, contineri certum est. Variat autem terrarum, e quibus turfae constant, pro soli diuersitate, tum indoles, tum ad reliquas partes essentiales, ratio.

Terra aluminis quidem, quæ frequenter argillæ nomine, in multis regionibus occurrit, ad humum cespitosam faciendam multum videtur conferre. Tractus terræ paludoſos, madidosque, ad quos aquæ continuo inclinantur, communem turfarum locum natalem constitutæ docebimus inferius. Ibidem, ut aquæ refineantur, solum, necesse est, sit firmum, sit tenax, ad retorquenda magis, quam sorberenda fluida compositum. Ex quo terrarum genere argillacea est. Haec in

in absorbentium morem, humores haurit, iisque ad societatem hau-
sis, mox in laxam, mollem, lubricam conuertitur compagem, quae
retinendis, aequa ac arcendis, fluidis est aptissima. Et in plurimis
locis paludofis inum stratum plerumque argillaceum, vbi humores
constant, reperitur. Similiter quoque experimentis euictum est,
(I. HASSELIV. in *Schweidischen öconomischen Abhandlungen*, B. 7. S. 184 f.)
post turfarum combustionem restitisse cinereum album, leuem, pulueri
cyprio haud absimilem, qui bene siccatus, studiose a particulis pere-
grinis, depuratis, massam leuem, terrae aluminosae simillimam, ex-
hibet, cuius, etiam si quandam partem vegetabilibus rebus turfæ admi-
nis, maximam tamen terræ argillaceæ, dederis.

Terra silicea in plerisque regionibus humo iuncta, communem
quasi, fabuli forma, soli efficit proprietatem. Eam itaque, cum ter-
ra arenosa, quibus vicinia abundant, in nostris cespitibus, haud mi-
nimum inter partes constituentes occupare locum, nullatenus mirandum
est. Neque minus alias terrarum simplicium species, calcaream, ma-
gnesiam, vel nudas, vel acidis imprægnatas, turfis, pro soli diuer-
sitate, inhaerere, facile colligimus.

Etiam *ferri* vestigia in turfa indigena reperta sunt, (§. 3. exp. 3.
§. 4. exp. 3. §. 5. exp. 3.) quod quidem ex diversa soli conditione
præsumi potest. Ferrum enim, histria naturali teste, in tellure, va-
ria, eaque interdum diversissima forma, obuium est. Quibusvis fere
corporibus facilime sociatur, vnde eius in tellure insignis vbiuis abun-
dantia. Sic minera ferri lapidea in circulo electorali, admodum fre-
quens, longe lateque per loca campestria reperitur, licet operas pre-
tium non fuerit, fructum ex fossione capere, quod plerumque haud
diuitior, aut præstantior materia inest. Sic ferri substantiam vitriolo
martis in agris et rure circumfusis contineri, circumferrique, partim
superior erundem facies, inferiores quoque stratorum ordines, corio
terrae sublato, satis manifesto docent; partim communes aquae no-
stræ, cum stagnantes in paludibus et lacubus, tum currentes, nunc fon-
tium instar propullentes, nunc tenui aquæ mole in riuulis, cuticula fu-
erne iridis colore, et cum sedimento aeruginoso atque ochraceo,
fluentes. In illo virbis nostræ tractu, vbi turfa foditur, venas ferreas
fluentes.

coagimenta telluris rariores, ochrae tamen vestigia frequentia habent, imo silicis partibus saepe aliquid admistum ferri est, cuius praesentiam lixiuum sanguinis haud dubiam fecit. Ipse cineris, post turfae combustionem, residui color, illius quasi signum patescet; nisi hunc ex vegetabilium admistorum cinere, deduxeris colorem. Dresdenis quidem cinerem reliquit rubrum, qui, quod tentamina docent, (§. 7. exp. 3.) maximam partem ferreis tribuendus est partibus. Idem in aliis turfarum examinibus alii obseruarunt.

Inflammabiles denique partes petroleo, rebus mineralibus hucusque annumerato, potissimum tribuenda esse videntur. Hoc enim diversa quantitate in tribus meis turfae exemplis inhaesisse, tentaminibus (§. 3. exp. 12. §. 4. exp. 14. §. 5. exp. 12.) effeci. Acido enim vitrioli, atque spiritu vini inter se iunctis copulatisque, non solum partes terrestres, sed haud exigua inflammabilis principii copia solvuntur, cuius propria origo, etiam si mineralis interdum existimet, tamen testibus rursus experimentis, vere vegetabilis habenda est. Sed qualis principii huius in turfa origo recte sit assumenta, vltior rei tractatio, de probabili turfae origine atque formatione, vberius differet; cum omnis, cur turfa flammæ alendæ par sit, caussa, ex hac ipsa parte essentiali deriuetur.

Vegetabilia quoque flamina in turfis nostris contenta esse, analysis chemica detexit. Aqua enim destillata (§. 3. exp. 9. §. 4. exp. 11. §. 5. exp. 10.) multas excepit cespitosas particulas, plantarum præcipue corporibus tribuendas. Sunt ex hoc genere particulae mucilaginosæ, faccharinae, salinae, adstringentes. Decoctum enim saturatum, inspissatum, et in extracti formam redactum, graminis extracto simillimum, partes vegetabilium, antea recensitarum, varium in modum adesse, certo declarauit. Tenacitas, sapor dulcis, leuiter acidulus, indubia sunt vegetabilis principii indicia. Quasdam quoque partes spiritus vini, cuius adeo color inde immutatus, easque (§. 3. exp. 10. §. 4. exp. 12. §. 5. exp. 11.) modo resinolas, modo adstringentes, in se suscepit. Idem tamen in tertia turfae specie, magis minerali, minus valuit, quod pauciores vegetabilium particulae inerant. Ex actione infusi vinosi (§. 3. exp. 11. §. 4. exp. 5.) in quibuslibet

buslibet turfa nostrae speciebus, similem effectum vidi, cuius causam partium vegetabilium essentialium, radicum arborum, fruticum, herbarum, in solo eius natali crescentium, multitudinem, recte dixeris. Ipsa syluula, vbi turbaria exsilit, maximam partem Betulam albam, B. alnum, Pinum sylvestre, et Quercum, alit. Quae in illius loci, quo turfa foras datur, tractu, quem aqua, longissimi temporis decursu, oppresit, et in paludem conuertit, herbae crescunt, secundam, et quae circum circa in huius loci viciniis efflorescunt, tertiam classem constituant. Iuncum quidem effusum, sphagnum palustre, Eriophorum polystachium, magna copia ibidem conspicimus, ibidem que sparsim florent, Iuncus tum viginosus, tum articulatus, Carex, acuta, atque Polytrichum commune, quod ipsum tamen rarius occurrit. In viciniis turbariae nostrae Tormentilla erecta, Erica vulgaris, Nardus stricta copiosissime, Iunci squarrosum et conglomeratus, Agrostis capillaris, Viola palustris, Ranunculus flammula, Hydrocotyle vulgaris, copiose, et Carduus palustris rarius crescunt. Neque aliae ibidem repertae plantae, rariores quidem, reticendae sunt, cum ex vicinia, vbi crescunt, in ipsum turfae solum translatae videantur: videlicet Trifolium repens, Hieracium pilosella, Lycopus europaeus, Rumex acetosella, Anthoxanthum odoratum, Lotus corniculatus, Sagina procumbens, Peplis portula, reliquae. Quantum diuerfa harum vegetabilium natura, tantum quoque partes extractiuae variant, vt, quae partium constitutum proportione, atque varietate dissimilia sunt elementa, examine tentare et expedire analysi, aequo difficile, ac nullius pretii sit. Ex eodem fonte, quae insunt *falia*, (§. 3. exp. 2. §. 4. exp. 4.) deduxeris. Corpora enim vegetabilia alcali fixum, et quae ab illo, vt basi, componuntur, falia media, copulata habent; quin ab nostro examine alcali fixum, atque tartarum vitriolatum adesse demonstrauimus.

Alcali denique *volutili*, aliisque, quae regnum animale proprius spectant, partibus, tum turfa nostra per destillationem secam liberatis, tum per alios in qualibet turfarum specie, detectis, satis exploratum est, id terrae inflammabilis genus, animalium particulis non prorsus carere. Neque id mirum, cum, praeter animalium vrinam, eorum quoque

quoque cādauera, per tellurem vbius disiecla, et in illius sepulta vi-
ceribus, postquam longissimo tempore in solutionem abierunt, parti-
culas suas mininas terrestribus transducent et cum illis miscentur inti-
mius. Interim in turfis numero sunt exiguae, in aliis plane deficiunt.
Quapropter in illam moueor partem, vt has turfae particulas, quae
posunt ex alia etiam, quam animali caussa, originem duxisse, acci-
dentes statuam.

§. 3.

Diversae Turfarum species.

Pro differente partium constituentium natura, pro diuersa inter-
se relatione, variae turfarum ab historiae naturalis scriptoribus segmen-
ta, sive species repräsentantur. Quas enim ali de diuersitate loci
turfae natalis, de illius siccandi et parandi ratione, de methodo illam
colendi atque tractandi, divisiones duxerunt, eas a fine meo paullo
remotas, iure nunc practermitto. Maior omnino, et ad rem magis
accommodata, ex partium turfae essentialium, nempe vegetabilium,
terrestrium, inflammabili, varia inter se proportione, vt aliae aliis
copiosiores sint, consociatarum, magna eius, qua characteres exter-
nos, qua partium inter se relationem, qua virtutem faciendi ignem,
oritur diuersitas.

Turfa quidem *cospitosa*, (*Rasentorf, Wurzelt, Haidet.*) maxi-
mam partem, vt nomen habet, ex foliis, herbis, graminibus, radicibus
plantarum, solo plerunque humido asuetarum, organica struc-
tura nondum deletis, constat. Iuncta est haec radicum, atque her-
barum, quas copiose coagmentatas videmus, congeries, terrae rariori,
et principio inflammabili, vt, pro diuersa partium compositione, eius-
dem color lucidior, obscurior, vix ad nigrescentem accedat. Pro-
pter partes vegetabilium intertextas turfa haec, sub aequali volumine
leuisima est, flammam suscipit, odore caeteris minus ingrato, cito
comburit, mox concidit, atque cinerem, diuerso tinctum colore, al-
calinis partibus abundantem, relinquit. Neque propter minorem par-
tium cohaesionem, atque raritatem, propter materiae igneae, firmi-
orisque

orisque egestatem, coqui commode, et in carbonem conuerti potest. Eadem quoque, quod minimam partium ardentium quantitatem continet, nisi vrgente necessitate, flamma minus flagrante, ad fumum adhiberi haud folet. In locis altioribus, sterilibusque frequens, in inferioribus, humidioribus, praecipue in ipso primo soli strato, aliquanto rarer.

Secunda species, *Turfa paluosa*, (*Sumpftorf, Moort.*) eti priori extrinsecus similis, substantia tamen admodum differt. Composita magis, lutosa, tenax, ut vel hannis interdum duci atque excipi debeat, aere accedente demum indurescit. Maximam materiae inflammmandae quantitatem continet, unde color eius niger, vel obscure rubicundus. Siccata arctius cohaeret, nec facile confringitur, margae pinguis satis, et pauciora plantarum paludosarum, putredine absuntarum, offerens vestigia. Propter infligem caloris excitandi virtutem, usui maxime inferuit oeconomico et technico, odor tamen per incensio- nem ingratus, unde singulare, varioque artificio, carbones ex illa vruntur, qui et ignem diu retinent, et exsinguuntur difficile. Maior nempe partium cohaesio, ne subito igne mox collabatur, atque in cinerem grauem redigatur, efficit. Turfa haec statim sub toro gramineo in locis educitur paludosis, madidis admodum, solo sub pedibus adeo vacillante, ut tremorem incedentes ubiuis persentiant. Huc quoque illae turfarum species pertinent, quae in viciniis maris, ad littora, inveniuntur, quarum quedam pars plantas pelagias, atque salis quam marini habet.

Tertiam denique, *Turfam montanam*, (*Bergtorf*) eam nominamus speciem, quae maxima parte e terrestribus, quibus abundat, minima ex ardentibus, igneaque facile concipientibus, composita particulis, macra, et calori intense euocando alienissima est. Modo laxius cohaeret, modo firmius, ut terrae, ex qua constat, indoles fert; et cum partium facile ardentium inops sit, in carbones redigi nequit. Terra silicea, vel calcarea, aut marga si praeualent, turfa aeri exposita, minutim soluitur; si argillacea, cinerem leuiores, subtilem relinquit. Vegetabilium exigua, vel nulla vestigia. In locis paullo elatiioribus, vel et fabulosis, tamen viginosis, frequentius foditur.

B

Haec

Haec recentita hactenus turfarum segmenta, licet habitu externo, partium confluentium indole, flammam alendi virtute, admodum inter se discrepent, tamen quoad ortum et genesin sibi sunt simillima. Ea in tellure adeo videntur communia, et ubiuis locorum obvia, ut turfa nostra indigena Wittebergensis, secundum eam, quae in sectione hujus dissertationis chemica enarrata, similiter triplex genitio turfae vegetabile, inflammabile et terrestre, reprobatur. Quod de aliis quoque turfarum sodinis valet. Nuperim ex montanis Saxoniae nostrae regionibus, amicus eruditus, specimen aliquot turfae ad me misit, quae in pago Helbigsdorf, in viciniis Freyberga, vribis, ex rebus et scientiis metallicis clarissimae, effossa sunt. Huius viginosi tractus corium, siue terrae agrestis tegmentum, turfa leuisissimum, colore lucide fusco insignem, ex subtilibus minimisque radiculis, quibus partes lichenosae, framineae, solidiores intertextae sunt, concretam exhibit. Profundius inquirentes in turfae incident solidorem magis, compactam, obscurioram, quae deinceps, ubi vterius itum est, in paludofam, valde nigram, radicibus frondiculisque crassis, fruticosis plenam, abit. Medium hoc quasi stratum, praestantioris, grauiorisque turfae natale est, quae in massam densiorem consolidata, post exultationem carbones intencie ardentes, usque technico valde idoneos, reddit. Insimum, quod ei substernitur pavimentum, ex lino certe et argilla coaequatum, et condensatum, nondum assecuti fossores sunt, cum facta exploratione, ultra 12-18 vinas sub terra descendat.

Turfae ortus.

Ad ultimum denique, idque grauiissimum, in parte physica momentum, ad turfae genesis acedo. Variae quidem ex iis, quae proposita hactenus sunt, ex diuersae turfae speciebus, rationes ducere licet, quae expedienda quaestione aliquam suppeditare materialia possunt. Nam in doctorum virorum sententiis, quod et valde inter se discrepant, et obscurata plerumque negligunt, haud confundendum est. Et aliis quidem turfae vegetabilem, aliis mineralem

item tribuentibus, in duas potissimum partes cuncte, quorum illi, terram, particulis inflammabilibus grauidam, in paludibus, aquae adiumento, ardendi virtutem nancisci afferunt: hi, resinam aut bitumen terrestre vim inflammandi conciliare, statuunt. Quibus forte illos addideris, qui tuifas per aquam marinam formari credunt, cuius quippe partes extractihas, resinosas putant, a quibus cum amaritudinem, tum inflammandi potentiam haberet.

Cum itaque haec res controversa sit, et plena dissensionis inter rei peritos, eam suis ponderibus examinandam, et statim in limite monendum censeo: qualiscunque etiam de ortu turfae minerali, veterum aequo ac recentiorum, opiniones fuerint, quas I. H. DEGNERVS de Turfa cap. 5. studiose collegit, tamen longe probabiliorem illorum esse, qui eam a rebus deriuari vegetabilibus cupiunt. Terra enim ex qua coalescent turfarum glebae, minime inflammationi, sed firmitati et consistentiae inseruit, et pro strati natura insigniter variat. Quapropter ex eo, quod vel telluris visceribus eruuntur, vel ex terra coagimentatae sunt, vel diuersa terrarum genera in se vnta habent, non sequitur, vt earum ortus ad res fossiles, mineralesque sit referendus. Non enim terrestre consolidationis principium, sed iuncta eidem incendi materia, turfam facit; et vnde hacc demum habeat ortum, in primis quaeri debet. Praeterea in plerisque turfae exemplis, sive ex superioribus, sive subiacentibus profundioribus, stratis effossa sint, plantas, organica structura adhuc integra, nudo animadvertisimus oculo, armato autem particulas gramineas, lichenosas, radiculas subtiliores, quin in illis, quae penitus ex limo, pinguisque luto, in unum videntur compacta, vegetabilium solutas maxime substantias, obseruari conuenit. Quae si pluribus probare vellem, neque scriptorum fidei magis confirmarem, neque tot hominum, qui turfis utuntur, testimonii quicquam adderem. His enim non plantarum modo, arborumque reliquias, vt foliorum, radicum, herbarum cuiusvis generis, sed rudiora quoque lignorum fragmenta, vt ramos, truncos, radices, trabes, saepe integras arbores, in earundem stratis inueniri, compertum est. Eiusmodi exempla apud autores passim occurunt, vbi integrae fere syluae, seu arborum series violenter pro-

stratae, et aceruatum positae, sua adhuc specie discernendae, et cortice, foliisque dignoscendae, terra obrutae, profunditate 20--30 pedum effosae sunt, sub quibus, cum vterius fodiendo ad 20 pedes per- ventum, alium petrefactorum fere arborum ceterorum, opposita direcione, submersum fuisse, narrat Doct. IVSTI (*Geschichte des Erdbod.* pag. 238 sqq.) Haec de vegetabilibus, quae turfis insunt. Aliae autem in proutu sunt rationes, probationem praeflantes, qua ortus turfæ ex vegetabilibus colligitur; et quidem locus eius natalis, vbius terrarum idem fere, et similis. Nempe et obseruationes scriptorum, et historiae naturalis recensu, et itinerariorum monumenta docent, omnes turfæ fodinas vel paludem adhuc esse, vel olim fuisse. Battavorum, qui ditissimas maximasque continent, tractus fere totus vliginosus est, praecipue in regionibus mari vicinis. Ideo de tractu marittimo totius fere Europæ valet. In regionibus humilioribus, de pressoribus, quae aquarum illuvium admittunt, quin idem vbius contingat, nullum est dubium; sed in elatiорibus, in montanis, dubia res esset, nisi eventus fidem faceret. Namque in montium summis iugis, Saxonie, Hercynie, Heluetiae, (v. SCHEVCHZERI herbar. Diluv. p. 54. *Naturgesch. des Schweizerl. Th. III. p. 101.*) Scotiae, Hiberniae, in Pyrenæis, qui Gallos, Hispaniamque distinguant, non infrequenter loca declivia et vallestria occurunt. Cuius rei ratio per antiquissimam telluris faciem explicari potest. Namque montium omnium frondosa fuisse cacumina antiquitas testatur, quod STRABO, (Geogr. lib. 3.) aliique sigillatim de Pyrenæis, et adiacentibus montibus assertum, quorum latus, in Hispaniam vergens, arboribus constitutum, materiae multitudine semper vires, germinasse; sed eam regionem priscis temporibus combustam esse, qua de re montes, aint, cognominatos Pyrenæos. Aliud documentum recentius summitates petrosae, et plane incultae, arboribus tectæ, in promontorio Americae Australis, Cap Hoorn et terra del fuego dicto, suggestum, (Engl. Seereisen, B. 2. p. 217.) Habent regiones antea enumeratae suam planitatem, id est superficie aequalitatem et complanationem latam atque diffusam; habent cacumina et apices montium, et interiacentes valles, in quas campi et agri procurrunt. Ibi natum turfæ solum videris, irruentibus aquis et congelis vegetabilium ru-

dimentis

dimentis, coalitum. In vniuersum turfae fodinae huiusmodi humum habent paludosam, quam alicubi sicciam si videris, tamen remota superficie crusta, statim vuidam atque irriguam inuenies. Sic a pl. Rev. IACOBI, Pastore Olbernhauensi meritissimo, per litteras accepimus, inter pagos Klein-Neuschoenberg et Reickersdorf, ad dextrum fluuii, Floehe dicti, latus, tractum turfarum in multum spatii se dilatantem dari, cuius superficies floridis, viridibusque pratis ridet, olim ut plurimum frutice, vacinio, myrtillo, oxyccoco, alioque plantarum genere, frequentatis. In quod pratense solum, si per vlnam vnam cum diuidia penetraueris, aqua scaturiens per canales hucusque diduci haud potuit.

Nunc, quas aqua partes, in paranda terra inflammabili, sibi vindicat, videbimus. In genere aqua, illud videtur esse menstruum, quod, sicuti plantarum vegetationem, humiditate sua particulisque mucilaginosis, nutrientibus, adiuuat, sic interitum earundem, solutio nemque in elementa, praeparat. Hos quidem effectus aqua vt cunque pura praefat semper versus declivia telluris loca defluens, vt longiori temporis spatio paludes formet. Natura enim terrae vbiuis rara est, multumque habens vacui, per has raritates, sive meatus, subtilis aquae humor fertur, qui, vbi copiosior influxit, nec emititur, quod in locis inclinati semper contingit, illa penitus opplet loca, stagnat, et in corpora ibidem obvia, solubilia, vi soluendi continenter agit. Vnde deinceps sequitur, vt aqua paludum maxime fiat impura, substantiis peregrinis omnis generis grauida. Hunc in modum agri fertiles et pascua iuncto limoso obducuntur, humus ipsa in pultem vdam conuerta, discussas aqua particulas recipit, et in massam vnguinofam transit, quae praeter corporum petrefactorum stamina, innumeras quoque particulas ignis pabulo plenas, vnde vrendi vim nanciscantur, continent. Quam in rem ALEX. VOLTA magnam limo paludum aeris, sive materiae fluidae, vstilis copiam, leui colligendam artificio, inesse, experimentis indubius docuit. (*Briefe über die entzündbare Luft der Sümpfe, Br. V. VI.*) Hunc aerem vstilem non possumus, quin putredine a corporibus vegetabilibus liberari, postea terrestribus elementis intimius misceri, iisque siccatis statu fixo inhaerere dicamus, donec ignis vi rursus excitata, ipsam flammam in terra inflammabili producat.

B 3

Ea

scind

Ea quidem ratione turfae ortum naturalem concipere animo licet; ad quem vegetabilium partium putrefactione, et aquae stagnatione opus est: utrique paludum indoles admodum fauet.

De multiplici plantarum, lignorumque copia in turfae stratis non difficilis coniectura est: summanam nempe terrae superficiem diversi generis plantas, arundineta, iuncos, palustrem materiam, arbusta, cum arboribus et syluis, infedisse, atque per temporis interualla ibideum depositissime exuicias: ab eo tempore terrestrem molem, aquaram, pluuiarum, torrentium, aerisque impetu, creuisse, eumque in modum, seculorum delapsu, materiam nunc vegetabilium, nunc terrestrium maxime rerum, arenae, limi, argillae, aliarumque per partes superinfectata esse; ut superficie telluris praefens status docet. Accedit illa quoque causa, quod nullas non terrarum regiones, turfarum officinis celebres, antiquissimo aeuo syluis densissimis fuerint obsitae. Singulari exemplo PONTOPIIDANVS in Daniae et Iutlandiae fodinis, refert, plurimos lignorum franges, imo integras arbores, abies, betulas, rarius ibidem nunc crescentes, reperi: istas tamen, addens, prouincias vno profundoque saltu invias fuisse: cuius rei causa de Iutlandia, vbi nunc platinum turfae foditur, testimonium AD. BREMEMSIS adducit, solam, scribentis, Iutlandiam profundis saltibus omnium Germaniae tractuim esse horridissimam. (Däutsch. Atlas p. 265. 271.) Non iam sylvas et nemora Germaniae vetustissima, iis praesertim in locis, quae fam turfarum stratis abundant, lubet memorare, sed unam solamque Islandiam, terrae bituminosae, turfarumque ditissimam, asserre, quibus focum exfluerere, lignorum loco, incolae solent, apud quos, ut historia quoque Islandiae testatur, communis observatio est, omnia hinc tractuim, terra vistili foctum, antiquitus arboribus fuisse obsitum. (OLAFSEN Reise durch Island p. 4. 65. 163).

Haec, quae de aquarum versus loca decliviiora, ad aleundos lacus paludesque, confluxu, haecenus dixi, naturam lento gradu, ad fabricam turfae peragendam, procedere, fatis commonistrant. Sed maioribus interdum visiter vndarum eruptionibus, longissimum terrae tractum vno quasi iectu submergentibus. Inter viros, historiae telluris nostrae antiquioris doctos, faciem illius, constat, maris exundatione

tione plus vna vice immutatam esse, et oceanum, aëstu ventisque su-
rentem, magna vi irrupisse terris, vnoque impetu latissimam illius,
praesertim orae maritimae partem, inuecta terrestri materia, argilla,
arena, limo, obruisse, eidemque per aliquod tempus incubuisse.
Deinceps semificcato, post aquarum desluxum, solo, tenuia planta-
rum diuersi generis rudimenta increuerunt. Alia inundatio, cum
limi subtilioris sedimento, subsequitur, ductisque rursus plantarum,
fruticum et radicum staminibus, tandem, post multas annorum vicissi-
tudines, in praesentem crassitatem cespes vñtilis augetur. Hunc in mo-
dum turfae apud Chaveos, Cherucos, et Bruceros originem LEIB-
TITIVS explicat, nec a coniectura, inundationum esse foetum, ab-
horret (Protog. p. 84.). Eosdem et alibi euentus in tellure accidisse,
nemo est, qui dubitat.

Quodsi vegetabilium rerum, et aquarum actionis, in formanda
turfae substantia summa est necessitas, vt obseruationes modo exposi-
tae videntur ostendere, oportet eandem etiam, eundem in finem, tri-
buendam esse terrestri, sine qua ne quidem consistere potest. Terra
enim firmitatem, vt omnino rebus, sic cespiti vñtili præstat, eiusque
cohaerentiam potissimum adiuuat. Cum enim terra, per se, nun-
quam ad ignem molendum apta sit, eius rei causa potius in aliis prin-
cipiis querenda est. Massæ vegetabiles, aqua subinde in putredinem
conueriae, particulas emittunt inflammabiles, quae ita lese poris terre-
stribus insinuant, vel ab ipsa terra ita excipiuntur, et quasi figuantur,
vt nunc terram vere vñtilem componant. Adeo vero firmiter istæ par-
tes terræ inhaerent, vt sola ignis vi moueri, atque extricari possint. Ex
diuersis autem terris simplicioribus, quæ vñtilem turfae materiam inti-
me sibi adsciscunt, vna est et præcipua, qua fine generari non pot-
est, nec illa carere vñquam videtur. Argilla nempe et terra alumino-
sa, mox purior, mox silice admixta, turfae strata ab inferiore parte sem-
per circumdant, et inum plerumque eorum pavimentum, cui turfa
supersternitur, constituunt. Cum enim argilla sua tenacitate et indo-
le aquam et bibat et arceat, ne in caro argilloso, si continetur, ef-
fluat, fieri certo nequit, quin omnis paludum humiditas, non modo
subsistat ibidem, sed quoque ad turfae formationem reddatur aptior.

Istud

1501.1

Istud paumentum argillaceum, quod turfis, in massam coagmentatis, vndeque subiicitur, tanquam alveus magnus considerari potest, qui omnem turfæ, paludisque ambitum, secundum quamlibet extensio-
nem, includit. Rem sic se habere, fossorum exemplis aequæ ac scri-
ptorum testimoniosis, confirmatur. Cum Amstelodami puteus foderetur ad 230 pedum profunditatem, hæ species terrarum suo quaelibet ordine repertæ sunt: hortensis terræ pedes septem, turfæ pedes no-
vem, argillæ mollis nouem, caetera; flatim enim turfam subsecuta est argilla. (VAREN. Geogr. gener. L. I. prop. 7.) Similem strato-
rum ordinem OLAFSEN de turfa islandica, et PONTOPPIDANVS de
fodinis Daniae perhibent, vbi argilla semper subiacere solet, (loc. cit.) et loco eius, si qua alicubi deest, paumentum petrosum reperitur.

Vtrum ex particulis vegetabilium, ad incendium aptis, oleum petrae, sive oleum terrestre, educi et obtineri possit, inter Physicos non satis cognitum est. Plurimi quidein, quibus ex vegetabilibus ducere oleum istud placet, materias, vnde elicuntur, ut v. c. resinas terrestres, longissimo tempore in recessibus telluris abditas, ibidemque consistentiam nactas esse, contendunt. In ducatu Mutinensi, in nonnullis Persiae, aliisque regionibus, ex strato mere argilloso profluere oleum hoc obseruatum est. Num quis miraretur, cum cerneret, oleofas turfæ partes, in locis, quae arborum resinofarum copiam habent, ex earundem resina forte seceratas et suscepitas esse? At vero, cum plurimæ arbores, alnus, betula, quercus, aliae, quarum radices et reliquiae turfæ missiones maxime frequentes faciunt, solum humidius ament, ex iis partes inflammabiles, putredine liberatas, atque aliquo fermentationis gradu paratas, terrestri, peregrinae materiae coalitas, et in formam fixam rudiorem mutatas esse, vero adinodum simile videtur. Nimirum ex petroleo, quin ex aliis resinis terrestribus, oleum subtilius, aethereum, rectificatum vocant, facile extrahi posse, experimenta docent. Acidum quoque petroleis inhaerens, quale facta analysi in turfis deteximus, ad vegetabilium genus referri debere, quilibet facile concederit. Tandem adstringens principium, quo in turfæ lixiuio ad pelles subigendas virium, similiter generi vegetabili debetur, cum in pluribus, ex quibus turfa formatur, plantis infit.

Licet

Licet autem in subducendis his rationibus nihil aliud specta-
 verim; nisi ut periculum facerem, et quandam monstrarem methodum,
 qua posset turfae communis, qualis in agris nostris obuenit,
 ortus illustrari: causae tamen sunt nonnullae, cur missione, cui
 totum genus subest, si ad modum, quo substantia ardens generatur,
 attendimus, omnium fere, tam animalium et mineralium, quam ve-
 getabilium corporum, accessu, perfici posse credam. Sulphur enim
 Islandiae et Norwegiae turfs, aliis autem saluum acidorum subtilissi-
 mas partes animantiumque, flaminia, mista esse, et scriptores citati pro-
 bant, et humus hortensis agrestisque, ex qua turfa constat cespitia,
 satis declarant; quam ea de caussa ad genus terrae turbatum mississi-
 munque recte retuleris. Hinc illorum haud improbandam senten-
 tiā puto, qui illam pro humo agrelli, pro terra habitabili vendi-
 rāt, quae suprēnum aliquando corticem, hominibus habitatum, et
 frugum ferendarū causā cultum, constituit. Eum in modum ratio-
 nes colligunt Iusti, aliique scriptores (c. l. p. 238.), quibus, quin tur-
 fa cespitosa superficiem terrae olim habitatam dederit, cum nullibi,
 nisi in suprēma eius facie oriri et concrescere possit, nullum amplius
 superesse dubium videtur. Multum enim abest, quin terra cespite
 vīlī, quando illam opplet, emacretur, modo cum cura et diligē-
 tia tractetur. Accedit ad hoc, quod nostri coloni illum pluribus in
 locis, tanquam agrum fertilissimum, saepe sine stercore, aratis
 percissum, ad accipiendum ferendumque semen subigunt. Rebus
 sic comparatis, cur turfarum coagmentationes in omnibus omnino
 terrarum locis ac regionibus factae sint, ratio in promtu est. De
 Europae fodinis ditissimis, frequentissimisque satis dictum est. Quae
 de cæteris valent orbis terrarum partibus, habemus diserta Geogra-
 phorum, veterum et recentiorum, Itinerariorumque testimonia, quibus
 non dubium est, fidem habituros eos, qui naturalem illarum indo-
 lem pernosse cupiunt. Quodsi his credendum testimonii, dubitari
 non potest, reliquum orbem continentem paludibus, et locis lacustri-
 bus, exuberare, quorsum præsertim immensus ille Americæ tractus,
 quem Amazonum fluuius perlabiliter, pertinet. Adeo et ipsae Ocea-
 ni Australis insulae, terraque incognitæ, paludibus et turfarum fe-
 dibus

dibus non destituuntur, ut recentiores nauigatores de nouae Hollandiae, Seelandiaeque oris, vbi in praesens Anglorum colonia in sinu botanico consedit, annotarunt (*Seereisen ins Südmeeer durch Hawkesworth, Berl. 1774. B. 3. p. 93-95.*). Similia apud VARENIVM de mutatione aqueae superficiet in terream, eamque combustibilem (Geograph. gener. c. 18, prop. 1-8.), legi possunt. Itaque tot locis, totque sublidiis rerum naturam, terram cremari solitam per totum orbem disseminasse, quis amplius miretur?

Discussis his, quae ad ortum turfæ, in primis spectare videbantur, sub sinu tractationis duumuorum adhuc, rerum physicarum atque mathematicarum consultissimorum, ratio habenda est, qui de naturali turfæ ortu, probabilem maxime sententiam dixerunt. Nempe LEIBNITIUS (Protog. p. 82.) in genere fatetur, turfam non terram esse, sed materiae vegetabilis colluuiem, forte ex erica, musco, gramine, radicibus, arundinibus terra paludosae, postremo scatatis, longissimo tempore concretam. Recentius CL. LVLOES rationibus et eventis, turfam vegetabili ortu productam docuit; non quidem ex eo, quod diuersis plantarum lignorumque reliquis misla sit, sed quod spiritus turfæ alcalinam, cum acidis effervescentem, naturam habeat; quod illius oleum vegetabilium admodum simile sit, spiritu vini solutionem admittat, oleo ex pice montana et sulphure eandem respondeat; denique quod sal turfæ maxime alcalinum exeat. (*Kemnitz's der Erdk. edit. Ill. KAESTNERI p. 294.*)

Sed non immorabor recensendis iis, quae in hanc rem dici vltioris possent; nec in intuidebo aliis, qui rem acu tetigisse existiment, quando non partes solum turfæ omnes, sed modum etiam, quo concreuerint, ab mineralium corporum actione deriuari, et sic eius ortum naturaliter concepi posse, opinantur. Habet ingenii humani vis, in quo se se hic exercet; ego, vt dicta haec tenuis in summam contraham, sequentes positiones subnecfo:

1) Omnibus turfæ stratis vegetabilia insunt corpora, modo integra, modo corrupta, aut putredine penitus in substantiam terrestrem conuersata.

2) Locus natalis turfarum nullibi reperitur, nisi traectu telluris humidoire, vliginofo, vbi paludes vel adhuc sunt, vel olim exslicherunt.

3) Aqua

- mer 3) Aqua paleatum ad soluenda corpora vegetabilia, imo ad genesin turfae plurimum confert.
- 4) Similem in modum obseruatum est, turfarum venas, et ditissimas et maxime extensas, illis in locis esse, quae vetustissimo tempore syluis et vepretis confita fuerunt.
- 5) Turfarum strata, quae non in summis superficie terrestris, sed in profundo, et quidem plures, reperiuntur, fuerunt aliquando superficies terrae, isto tempore habitabilis, esque strata, pro superficie habitu et situ, modo versus eandem ascendunt, modo declivitate sua ad ima descendunt.
- 6) Quae turfae insunt partes minerales et animales, peregrinae potius habendae sunt, firmitatem imprimis augentes.
- 7) Omnes partes turfae inflammabiles, vegetabilibus debentur, et ipsum petroleum primam suam originem a vegetabilibus habet.
- idi 8) Genesis et perfectio turfae non sunt expectandae, nisi longissimo tempore.

§. 5.

Turfae propagatio, indicia.

Duo adhuc sub finem huius tractationis, quantum fieri potest, excutiendi restant: alterum, utrum turfa fodinis excisa, renascatur; alterum, num turfae subterraneae signa dentur, in superficie terrestri manifesta. Quod ad primum attinet, renasci per se turfa, nondum compertum est, eti aquae, aut natam in vicinis locis, aut, unde nascatur, materiam rursus aduchant. Etenim de turfae fodinis, si cespite superiore, per quem ad venas ipsas perueniuntur, iterum replentur, corporibus vegetabilibus omnis generis in eadem denuo ingefisis, et aqua solitus, tum nouam inde venam oriri, scriptores referrunt. Talis autem renascendi modus admodum naturalis, et primaueae genelli penitus similis est, sed longo demum tempore, nec sine accedentibus his subsidisi, perficitur. Alium non dari, non cogitari posse puto.

Nunc de indiciis, quod secundum est, dicamus, quibus turfae venas occultas et reconditas serutamus, ea obseruantes supra terram signa naturalia, quae aut a venis longe absesse non possunt, aut ipsa

ipsa earundem fragmenta ostendunt. Omnes quidem regiones tufam ferentes, ut antea monui, paludosae sunt, vel manifesta paludis exsicatae indicia praebent. Hinc, quo loco paludes habueris, aut humidiiores et fluctuantes, aut diductis aquis sicciores, ibi conjectura est, tufae venam subiacere. Praeterea in herbas inquirendum est, quae crescunt supra venas, et longo ordine, quo se vena tendit, dispositae sunt. Cuiusmodi herbae solent esse, quae loca perpetuo humida amant, ut vegetatio cattifia, sufficientem humorum copiam ex subiacentibus stratis, aquam continentibus, alliciant et resorbeant. Earum diuersa genera, gramina, aliasque plantas enumerauit, quae his in locis humiles plerunque proueniunt, et coloris non vivi. Quo autem nos certiores reddamus de tufae venis, quaenam et quales sint, arte humus exploranda est; primo terebra, quam vocant, terrefiri, cuius adiumento terra strata, ad insigillum aletadineum, perforantur; deinceps effodienda est terra, et eundem in viscera illius, ut non modo, quaenam ibi lateant pretia, inquiramus, sed iis, quibus potiti sumus, cura honesta et parca vtamur; cuius rei sectio tertia, oeconomico-medica, praecpta exponet.

Theses a Cl. Respondente propositae.

- 1.) Plantarum, sponte crescentium, indoles cultu haud mirantur.
- 2.) Alimenta indigena corporibus nostris magis conuenient, quam exotica.
- 3.) Quies post pastum animalibus conducit.
- 4.) Sublatis symptomatibus morbus interdum tollitur.
- 5.) Omnes morbi putridi, contagiosi.
- 6.) Sola crux inflammatoria insufficientis venaelectionis repetenda signum.
- 7.) Cancer non morbus sui generis, nec per medicamenta specifica curandus.
- 8.) Adstringentia in diarrhoea rarius conducunt.
- 9.) In angina inflammatoria gargarismata, et iniectiones saturninae, commendanda sunt.
- 10.) Peripneumonia notha venaelectione potest indigere.
- 11.) Venaelectione non semper in apoplexia necessaria.
- 12.) Variolarum incisio nocere magis, quam iuare videtur.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96

vol 18

f

ULB Halle
004 335 651

3



86.

W
E
1

1928 K 944

778



DISSE⁴⁵³RATI⁷⁷⁸O PHYSICO-MEDICA
DE
C E S P I T E V S T I L I,
VULGO T V R F A,
SECTIO II. PHYSICA,
— — —
Q V A M
PRAE⁷⁷⁸SIDE
D. SALOMONE CONSTANTINO
T I T I O,
PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VICAR.
PRO SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONO-
RIBVS RITE CAPESSENDIS

D. 27. AVGVSTI 1794.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS VOLDEMAR SALOMO FIEBIGER,
GORLITIO-LVSATVS,
MEDICINAE CANDIDATVS.

WITTEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1794

